



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. LXI. De Expugnatione castri Christburg.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Conradus Landgr. Thuring. V. Magister Gen. Ord. Teut.
Henricus de Wida III. Magister Provinc. in Prussia.*

CAP. LX.

*De**Resignatione pacis & Vastatione
terra Cujaviae.*

ELAPSO modico temporis spatio Svvantepolcus iterum ingratius beneficio & multifariæ gratiæ, quam eidem in summa necessitate constituto, fratres sæpius exhibuerant, occultè homines fratrum spoliavit, & modis variis perturbavit. Tandem resignans publicè pacem, incepit Christianos hostiliter persequi, sicut prius, & congregato exercitu valido, Cujaviam terram Ducis Casemiri intravit improvisè, & vastavit eam incendio & rapinâ, & occisis multis Christianis, mulieres & parvulos cum aliarum rerum magno spolio secum duxit.

CAPUT LXI.

*De**Expugnatione castri Christburg.*

NEC dum idem Svvantepolcus satiatus sanguine Christiano, apposuit adhuc peccare, ut in iram Deum excelsum denud provocaret. Invidebat enim felicitati Fratrum in eo, quod castrum Pomesanorum nuper expugnaverant, & cogitavit, quomodo vindicaret. Congregavit ergò omnem potentiam exercitus sui & Neophytorum Pruschiæ, & ut præmissum est, quia omni dolo plenus fuit, semper dolosè egit. Unde divisit exercitum suum in duas partes, ut una castrum antè invaderet, altera retro. Processit itaque ipse cum una parte dicti exercitus ad anteriorem partem infirmiorem, & adeo infestus

fuit

*Conradus Landgr. Thuring. V. Magister Gen. Ord. Teut.
Henricus de Wida III. Magister Provinc. in Prussia.*

fuit in impugnando, quod fratres vix poterant defendere illam partem. Unde factum est, quod alia pars exercitus in posteriore parte sine aliquo defensionis obstaculo castrum subintravit. Sicque isti antè & retrò ipsos impugnaverunt, ita ut breviter concludendo omnes fratres cum eorum familia in ore gladii trucidarent.

CAP. LXII.

De

Reædificatione castri Christburg.

EX hoc lamentabili eventu Fratres & Magister perturbati consideraverunt, quod indomita colla istarum gentium non possent fidei subjugari, nisi in medio Nationis ejus perversæ haberent castrum, de quo ipsas quotidiè impugnarent. Convocata iterum multitudine peregrinorum, qui continuè de partibus Almaniae per prædicationem S. crucis confluebat. Præparatis omnibus, quæ ad ædificationem castrorum fuerunt necessaria, processerunt ad terram Pomesaniae, immutantes locum, & non nomen, ædificaverunt (^a) castrum Christburg in eo loco, in quo permanet usque in præsentem diem, ad laudem & gloriam JESU Christi, munientes ipsum omnibus, quæ ad custodiad castrorum fuerunt necessaria, relinquentes & ibi magnam potentiam armatorum. Postea in successu temporis locaverunt ibi circa castrum civitatem, ad quam inhabitandam confluebat multitudo fidelium, qui pro defensione fidei Christianæ quotidie intrepidè res & corpora exponebant.

A N I M A D V E R S I O.

(^a) *New Christburg.* Castrum hoc jam ante An. 1249. fuisse conditum cognoscimus ex Privilegio Prussis Veteribus dicto anno, die 7. Id. Febr. à legato Pontificio dato ubi jam mentio fit novi & Veteris Christburg.